

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 890

**Auteur(s)** : Guillaume de Tournebu, Bayeux (doyen chapitre cathédral)

**Auteur(s)** : Bayeux (chapitre cathédral)

**Bénéficiaire(s)** : Robert de Ver, Bayeux (chanoine)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : [1150-1184]

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Guillaume de Tournebu, doyen de Bayeux, et le chapitre notifient le compromis fait entre Robert de Ver, chanoine de Bayeux, d'une part, le prêtre Raoul de Landes et son frère, d'autre part, au sujet de terres que Robert voulait rattacher à sa prébende.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° XCIX, t. 1, p. 123-124.

## Dissertation critique

Guillaume de Tournebu, apparaît comme doyen de Bayeux vers 1150 ; il continue son fonction de doyen jusqu'au 1184 où il est consacré évêque de Coutances.

Texte établi d'après a

Guillelmus, Baiocensis ecclesiae decanus, et ejusdem ecclesiae capitulum, omnibus sanctae matris Ecclesiae filiis, ad quos praesens scriptum pervenerit, salutem. Notum sit vobis quod, cum inter Robertum de Ver, concanonicum nostrum, et Radulfum de Landis, presbiterum, et Tustinum, fratrem suum, aliquamdiu agitata fuisset controversia super quibusdam terris quas idem Robertus dominico praebendae suae vendicabat, et jam dicti fratres se et antecessores suos haereditario jure tenuisse dicebant, tandem, de consensu partium interveniens amicabile compositio coram nobis in hunc modum eandem controversiam terminavit. Praedicti siquidem fratres duas acras terrae, quae erant ante domum Ricardi de Spernis, et alias duas acras, versus Maisnilleium, praefato Roberto, et aliis in praebendam illam ipsi successuris, in dominico perpetua stabilitate dimiserunt habendas. Robertus autem quamdam mansuram, juxta virgultum Willelmi Avenel, in qua mansit Manfredus, et ultra Aionam fluviolum, quatuor agros, agrum etiam de Poncello, culturam de Petra, et versus Maisnilleium tres agros, memorato Tustino et haeredibus suis feodaliter in perpetuum tenendos concessit, et de istis reddent canonico annuatim, ad feriam Prati, duodecim denarios Andegavenses, et ad Natale Domini tres panes et tres gallinas, et ad Pascha viginti ova, et per hoc erunt quieti ab omni alio servicio et exactione. Ex debito etiam illius compositionis idem Robertus ipsis omnia ista tanquam dominus garantizabit, et ipsi eidem Roberto praenominatas quatuor acras, contra Thomam de Landis, et contra omnes jure et occasione ipsius eas petentes, omnino garantizabunt, et etiam contra omnes alios, quantum poterunt. Praefatus autem Robertus, fide corporaliter praestita, et saepedicti fratres jurisjurandi religione

compositionem istam, juxta scriptum tenorem, firmiter observandam firmaverunt ; et Tustinus de terris illis, prædicto modo sibi concessis, prænominato Roberto homagium fecit.